

ꝑ. Ista notorietas post Concilium Constantiense non sufficit, ut quis teneatur Chelidonium vitare tanquam excommunicatum; sed requiritur sententia, per quam nominatim declaretur excommunicatus. *Pontas.*

NOTA. Eadem declaratio facta est a Martino V. pro Germania, Bohemia &c.

CASUS XLIV. Nereus Curator Ecclesie abstulit 300. florenos ad fabricam spectantes, ac de hoc furto per tres testes irreprehensibiles judicialiter convictus in pleno senatu Excommunicationem incurrisse declaratus est a Iudice ecclesiastico ob facti negationem & restitutionis recusationem.

ꝑ. Requiritur denunciatio formalis ad hoc, ut quis teneatur eum vitare, omneque cum eo commercium dissolvere. Ejusmodi denunciatio fieri debet ex cathedra sub Missa parochiali aut in alio conventu populi, vel affigi in locis publicis. Interim tamen coram Deo excommunicatus est, nec potest in hoc statu absque novo peccato ullum Sacramentum recipere. *Pontas.*

CASUS XLV. Liberius scit, Balduinum esse excommunicatum; & tamen cum eo communicat.

ꝑ. Si Excommunicatio est solum minor, potest communicari cum eo, dummodo nullum ipsi administraretur Sacramentum. Si vero major est, & eam incurrisse declaratus sit, absque necessitate non licet ullam cum eo habere communicationem; nisi id fiat studio procurandi conversionem ipsius. *Pontas.*

CASUS XLVI. Auxilius communicavit cum Richardo excommunicato denunciato, cum eo orando & Missam audiendo, eum salutando, illi loquendo, cum eo manducando.

ꝑ. Peccavit mortaliter assistendo Missæ cum Richardo; assuevialiter solum eum salutando, illi loquendo & manducando cum eo; quia hæc & similia nec ad Religionem nec ad spiritualia spectant. Tres dantur casus, in quibus per communicationem cum excommunicato peccatur mortaliter 1. Communicando cum eo in spiritualibus v. g. orando aut Missæ assistendo cum eo &c. 2. Per Communicationem cum eo in quacumque demum re, si id fiat in contemptum legum ac prohibitionis Ecclesie. 3. Per communicationem in ipso crimine, ob quod quis a communione fidelium remotus est. Per communicationem in iis, quæ solum societatem civilem concernunt, peccatur tantum venialiter. *Pontas.*

NOTA. Licet ante & post mensam soleat orari; ea tamen oratio potest considerari solum tanquam actio accessoria, non tanquam principalis, qualis foret in Ecclesia.

CASUS XLVII. Dionysia cum suis liberis ac domesticis communicavit ut alias cum Andrea marito suo excommunicato denunciato in ordinariis negotiis domesticis.

ꝑ. Circa ea possunt communicare; neutiquam vero in Divinis. De domesticis id intelligendum; si jam ante censuram in servitio Andreæ fuerunt. Fratres, sorores & alii cognati ac consanguinei non eadem communicandi cum eo libertate gaudent, ut uxor & liberi. Cognatis D. Thomas accenset etiam liberos emancipatos. *Pontas.*

CASUS XLVIII. Aristippus, Vasallus cujusdam Domini excommunicati denunciati an potest aut debet obedire Domino jubenti, ut illum sequatur ad bellum?

ꝑ. Potest, & debet. *Pontas.*

CASUS XLIX. Ludovicus, Presbyter & Filius Tullii publice denunciati excommunicati, quotidie pro suo Patre ad Deum preces fundit.

ꝑ. Potest orare; imo charitatis præcepto ad id strictè teneretur. *Pontas.*

CASUS L. Horatius Agricola nominatim fuit excommunicatus: ipsius Parochus suos parochianos obtestatus est, ut pro Horatio uno die jejument, elemosynas elargiantur, quasdam pro suo libitu recitent preces ad suam intensionem; quod etiam multi fecerunt.

ꝑ. Parochus iste egit ut Pastor zelosus, & preces parochianorum potuerunt utiles esse Horatio. *Pontas.*

CASUS LI. Scævola Excommunicationem incurrit ob crimen, de quo accusatus apud judicem se falsis purgavit probationibus.

ꝑ. Non opus est, ut recurrat Romam pro absolutione; cum ipsius crimen in foro externo censendum sit occultum. *Pontas.*

CASUS LII. Hercules Parochus die Paschatis in Ecclesia videt quemdam suorum parochianorum excommunicatum denunciatum, qui Missam audire desiderat; hunc cum expellere non posset, & cæteros Parochianos Missa privari non vellet, & multi etiam aessent, qui communionem Paschalem desiderarent, celebrat.

ꝑ. Commisit peccatum mortale, quo etiam minorem incurrit Excommunicationem; & si sequenti etiam die celebrarit sine prævia absolutione, etiam factus est irregularis; quia contra interdictum egit. Si excommunicatus expelli non

possit ex Ecclesia, antequam Canon Missæ fuerit inceptus, desistendum est a Missa; si vero Canon jam fuerit inceptus, Missa perfici debet usque ad Communionem inclusive, & reliqua perficienda sunt in Sacristia. *Pontas.*

**CASUS LIII.** Si Hercules jam inceperit Missam, ante Vesperas, quid agendum?

ꝛ. Quoad Missam prius dicta observanda sunt, & quod Vesperas attinet, abrumpendæ sunt. *Pontas.*

**CASUS LIV.** Medulpho Missam celebranti intimatur, Paulum nominatim excommunicatum esse præsentem, extra Ecclesiam ad portam stantem.

ꝛ. **INNOCENTIUS IV.** existimat, ante Canonem Missæ recedendum esse ab altari; si vero Canon jam inceptus sit, posse perfici Missam. Si excommunicatus solum in Ecclesia moretur causa laboris aut reparationis faciendæ, quidam Canonistæ censent, Sacerdotem non teneri cessare a Missa; id tamen censendum non nisi de iis, qui majori ligati sunt Excommunicatione; & Medulphus huic sententiæ se conformare debet. *Pontas.*

**CASUS LV.** Henricus Parochus ad S. Mariam die dominica in sua Ecclesia ante Vesperas concionem habuit, qua durante advertit virum esse præsentem, quem excommunicatum denunciatum noverat.

ꝛ. Potuit permitti, ut cum cæteris fidelibus concioni interesset: non enim privatus est jure audiendi verbum divinum; licet assistere haud possit Officio divino. *Episcopus*, inquit Concilium Carthaginense IV., *nullum prohibeat ingredi Ecclesiam Et audire verbum Dei, sive gentilem, sive hæreticum, sive Judæum, usque ad Missam catechumenorum.* *Pontas.*

**CASUS LVI.** Judas per sententiam juridicam declaratus est excommunicatus; plures autem doctissimi viri asserunt, Excommunicationem esse nullam.

ꝛ. Pro excommunicato habendus est non obstante opinione contraria privatorum; & ideo absque peccato mortali communicatio cum eo haberi non potest. Ratio est, ut advertit D. Thomas; quia si in ejusmodi casibus infirmi haud deberet judicio Ecclesiæ, ingens confusio, processus sine fine, litigiaque orirentur interminabilia. *Pontas.*

**CASUS LVII.** Nebridius amicus intimus Alexandri, quem scit excommunicatum denunciatum, communicavit cum illo. An incurrit Excommunicationem? Et in quo casu hæc Excommunicatio potest esse *major*.

ꝛ. Si sententia Excommunicationis contra Alexandrum pronuntiata etiam omnes illos comprehendat, qui cum illo communicabunt, Nebridius *majorem* Excommunicationem incurrit; si vero dicta sententia non includat etiam eos, qui cum Alexandro commercium habebunt, solum *minorem* incurrit; nisi forte participarit in crimine, ob quod Alexander excommunicatus fuit. *Pontas.*

**CASUS LVIII.** Si Nebridius solum minorem incurrit Excommunicationem communicando cum Alexandro, an etiam mortaliter peccavit eum salutando, illi sæpius absque necessitate loquendo, saltem si ob hoc a suo Parocho correptus fuerit, aut id videntibus scandalum dederit? Et sine etiam ab omni peccato immunis, si id fecerit ex permissione sui Episcopi?

ꝛ. Regulariter loquendo, solum venialiter peccatur communicando cum excommunicato; verum peccatum veniale potest fieri mortale, v. g. si quis communicaret cum tali excommunicato ex contemptu legum Ecclesiæ, aut per hoc notabiliter scandalizaret fideles. Itaque Nebridius communicando cum Alexandro certe peccavit & quidem mortaliter ratione pertinaciæ, & contemptus correptionis sibi a suo Parocho factæ; multo magis vero ob scandalum notabile datum eis, qui hujus communicationis notitiam habuerunt. Permissio Episcopi potest ob bonam fidem eum excusare a tanto, non vero a toto; Episcopus enim non potest talem dare permissionem, nec potest dispensare in jure communi, quo Excommunicatio minor constituta est, & cui juri Episcopus ut cæteri fideles subditus est. *Pontas.*

**CASUS LIX.** Macrobius obvium sibi Avunculum suum, quem scit excommunicatum denunciatum salutare, & urbanitatis causa alloqui intermittere non ausus est, quamvis sciret, se per hoc peccare.

ꝛ. Tenetur confiteri isthoc peccatum, licet solum veniale; quia non potest absolvi, quamdiu ligatus est Excommunicatione minori, a qua tamen quilibet Confessarius illum absolvere potest, si est approbatus ab Episcopo. Verum si Presbyter talem incurreret Excommunicationem ob administratum Sacramentum excommunicato denunciato, peccaret mortaliter & insuper per hoc solum factum incurreret interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & ab eo non posset absolvi, ut declarat Innocentius III., nisi prius congruam satisfactionem præstiterit *ad arbitrium Prælati excommunicatoris.* *Pontas.*

**CASUS LX.** Pisander Parisiis publice excommunicatus denunciatus Neapolim se contulit.

¶ Si Excommunicatio ipsius Neapoli non est publice nota, potest cum eo communicatio haberi in publico, non autem in particulari. *Pontas.*

**CASUS LXI.** Renobertus publice excommunicatus declaratus adeo a suis consanguineis & amicis derelictus est, ut ad mendicitatem redactus fuerit.

¶ Sine omni peccato & absque violatione legum Ecclesie potest illi dari eleemosyna. Imo juxta D. Thomam peccaret quis eam ipsi denegando. Licet quoque recipere eleemosynam ab excommunicato. *Pontas.*

**CASUS LXII.** Flavius Excommunicatione majori ligatus pro absolutione obtinenda accedit Landricum solum ad confessiones approbatum.

¶ Si Excommunicatio est a jure, Landricus legitime potest ab ea absolvere; nisi lex, per quam lata est, expresse absolutionem Superiori, aut Episcopus eam sibi specialiter reservaverit. Si vero est Excommunicatio ab homine, solus qui eam pronuntiavit, aut ille, cui ad hoc commisionem dederit, absolvere ab ea potest, aut denique in casu appellationis ipsius Superior. Dum hic fermo est de Superiore, intelligitur Papa, cui in particulari sex sequentes casus sunt reservati: 1. Quando quis occidit, mutilavit, aut manus injecit in Clericum qui est in sacris, vel Religiosum. 2. Quando quis excommunicatus declaratus est; quia incendit Ecclesiam. 3. Si quis excommunicatus declaratus est ob quamdam violentiam factam per infractionem in Ecclesiam. 4. Si quis excommunicatus est ob habitam communicationem in rebus spiritualibus cum eo, quem seclerat nominatim a Papa excommunicatum. 5. Quando quis excommunicatus est ob falsificationem literarum Apostolicarum. Jus istam reservationem non satis clare denotat; verum in Diocesi Parisiensi, & multis aliis ex consuetudine hæc Excommunicatio reservata est. 6. Quando quis communicavit cum excommunicato in eodem crimine, ob quod ille excommunicatus est.

*Sanctus Thomas* observat octo exceptiones dari in primo casu. *Prima* est articulus mortis, in quo quilibet Presbyter valide & licite absolvere potest ab omni censura & peccato quocumque. *Secunda*, si quis ostiarius cujusdam Palatii, percutiat clericum vel Religiosum solummodo ad prohibendum aditum, aut repellendam turbam absque alio malo motivo. *Tertia*, si percutiens fuerit foemina. *Quarta*, si reus sit

in

in servitiis, & ejus Dominus, qui est innocens, illius absentia notabile damnum pateretur. *Quinta*, si Religiosus Religiosum percussit, dummodo non sit enormis excessus. *Sexta*, si percussit Clericum, vel Religiosum pauper est. *Septima*, si reus sit Impubes aut senex, aut infirmus, & valetudinarius. *Octava*, si percussit excommunicatus habeat inimicitias capitales, ita quidem, ut in via Romam hostem suum obvium timeret.

Dantur insuper septem casus juxta *S. Thomam*, in quibus non incurritur excommunicatio ob percussorem clerici. 1. Quando percussio fit causa correctionis, ut Magister & Superior id faciendi jus habent. 2. Si sit ex levitate, joco, aut lusu causa. 3. Si quis percutiat, quem in flagranti apprehendit turpiter agentem cum sua uxore, matre, filia, aut sorore. 4. Si quis vim vi repellat. 5. Si quis ignoret, se percutere Clericum. 6. Si quis percutiat apostatam, qui monitiones Canonicas trinis vicibus sibi factas contempserit. 7. Si quis percutiat eum, qui statui clericali contrariam profiteatur vitæ conditionem, ut si factus sit miles. *Pontas.*

NOTA. Galli silent de casibus in *Bulla Cane* expressis; quia ibi usum recepta non est.

**CASUS LXIII.** Elisabetha claustrum interius cujusdam monasterii Religiosorum ingressa est, quo ab uno horum Religiosorum, avunculo suo, introducta est.

¶ Illa peccavit, non tamen incurrit Excommunicationem ipso facto, si legitimus Superior, aut Concilium Provinciale id non prohibuit sub tali poena: ipsius Avunculus æque non incurrit suspensionem, aut aliam poenam Canonicam, si tales poenæ latæ non sunt a Concilio Provinciali, aut a Capitulo generali, vel Statutis & constitutionibus Ordinis, aut Statuto, vel Decreto dioecetano, aut denique a Superiore regulari, qui legitima autoritate tales ferre poenas potest. *Pontas.*

NOTA. Istud falsum est in locis, ubi Bullæ Pontificiæ præsertim *Benedicti XIV. de Clausura Regularium* promulgatæ & receptæ sunt. *Vi de Ferraris V. Conventus. Moniales.*

**CASUS LXIV.** Fulvia Monialis professa in Ordine reformato, violata clausura se recipit ad suam amicam rure degentem: petit jam absolutionem, & regressum in Conventum.

¶ Si ipsius crimen occultum est, Episcopus eam potest absolvere & a peccato & a censura, quam incurrit: imo potest recipere absolutionem a suo Episcopo, licet ipsius,

fius,

sius Apostasia sit publica; talis est Galliae usus, ubi Bullae contrariae non sunt receptae. *Pontas.*

NOTA. Haec praxis Galliae forte fundatur in generali principio; eas personas, quae non possunt accedere Romam personaliter, v. g. foeminas, nec obligari ad eo recurrendum per literas, ac proin eas absolvi posse ab Episcopo.

CASUS LXV. Selogena, Monialis professa, verbis offensa a quadam conversa, alapam ei inflixit, & pede percussit.

¶. Illa Excommunicationem incurrit, a qua tamen eam Episcopus absolvere potest. Idem dicendum de Monialibus immediate a S. Sede dependentibus. Altera pars hujus resolutionis probatur ex Decretali Innocentii III. de Monialibus, ubi ait: *Tua a nobis Fraternalitas requisivit, per quem eis sit beneficium absolutionis impendendum, si vel in se invicem, vel conversos, vel conversas suas, aut Clericos etiam manus injecerint temere violentas. Super hoc igitur tua consulationi taliter respondemus, ut per Episcopum, in cujus Diocesi monasteria fuerint, absolvantur. Pontas.*

CASUS LXVI. Bodardus, Religiosus professus Ordinis reformati rure moratus apud quemdam suorum consanguineorum, & cum duobus aliis consanguineis relaxationis causa cursu certare volens deponit suum habitum, ut promptior currere queat; mox autem illum iterum resumpsit.

¶. Videtur, eum excusandum esse ab Excommunicatione, cum ex mera levitate puerili habitum deposuerit; ideoque nec mortaliter peccavit. Excommunicatio tantum cadit in eos, qui fraudulenter habitum dimittunt animo apostatandi, aut aliam personam malitiose simulandi. *Pontas.*

CASUS LXVII. Synesius, Religiosus Ordinis reformati in Gallia stabiliti, a suo Superiore ob pravos mores admonitus est addita comminatione poenae. Synesius effectum comminationis factae timens & Superioris sui obedientiae se subducturus Episcopo libellum supplicem offert, in quo multas falsas contra suum Superiorem fingeat calumnias ac querimonias, quas confirmabat testimonio duorum juniorum Religiosorum, qui ad ipsius partes ab eo adducti attestati sunt contra veritatem, dictas querelas esse fundatas. Jam quaeritur, an isti tres Religiosi incurrerint Excommunicationem latae Sententiae vi Bullae Clementis VIII. & Pauli V. contra Religiosos, qui recurrunt ad Superiores saeculares. Difficultas consistit in eo, quod constitutiones hujus ordinis, & etiam dictae Bullae Registro Parlamenti Parisiensis non fuerint insertae?

¶.

¶. Isti Religiosi gravissime peccarunt transgrediendo Constitutiones sui Ordinis; non tamen incurrerunt Excommunicationem, & non opus est, ut recurrant ad Papam. Dictae duae Bullae in Gallia vim nec ullam habent, & Constitutiones Ordinis vim habent in tantum, in quantum Registro Parlamenti insertae sunt. Verum si Bullae & Constitutiones Ordinis etiam essent receptae juxta omnes requisitas formalitates, dicti tres Religiosi tamen non tenerentur recurrere ad Papam; ipsorum enim Confessarius eos in foro interno absolvere posset, si Excommunicationem incurrissent ipso jure. Bullae nullam reservationem Papae quoad absolutionem ab Excommunicatione in casu proposito lata tribuunt. *Pontas.*

CASUS LXVIII. Medericus, cum Excommunicationem majorem incurrisset, suum Episcopum accessit pro absolutione. Episcopus scripto commisit Parocho, ut eum absolvat. Quae ab isto absolutionis forma observanda est?

¶. Si Episcopus particularem formam, ut in Rituali continetur, praescripserit, Parochus absolute tenetur, eam exacte observare. Si vero Episcopus reum vult absolvi in forma Ecclesiae consueta, Parocho tria erunt observanda. 1. Ut Medericum obliget ad praestandam, si fieri potest, satisfactionem congruam illi, ob cujus offensam fuit excommunicatus, aut saltem ut praebet cautionem sufficientem praestandae satisfactionis; aut si eam dare non possit cautionem, Medericum obliget, ut juramento se satisfacturum promittat. 2. Obligandus est Medericus, ut jurejurando attestetur, se obfirmato esse animo non amplius committendi crimen, ob quod excommunicatus fuit, & parendi mandatis Ecclesiae. 3. Absolutio debet publice fieri, si etiam publica fuerit Excommunicatio. Si vero haec occulta fuerit, absolvendus est absque ceremoniis exterioribus seu publicis. Quodsi Excommunicatio occulta fuit, & nondum deducta ad forum contentiosum, absolutio fieri debet a Confessario in confessionalibus. Si autem fuit publica & a iudice Ecclesiastico judicialiter pronuntiata, absolutio fieri debet ab excommunicante, aut ex ejus commissione in hoc effectum data per alium etiam sacerdotio non initiatum. Et in hoc casu absolvens reum solum restituit communioni Ecclesiae, habilemque reddit, ut possit se sistere Presbytero, & ab eo absolutionem sacramentalem recipere a peccato, per quod Excommunicationem sibi contraxit. Verum hucusque dicta non habent locum circa censuras laticae a jure: nam Episcopus quicumque, in cujus Diocesi se reus recepit, per

test

test eum absolvere absque consensu Episcopi illius, in eius Diocesi fuit excommunicatus, ut plures opinantur Doctores. *Pontas.*

CASUS LXIX. Faustulus tredecim annos natus altercatur cum Subdiacono, eumque in presentia plurium bagulo percussit inflata gravi contusione in capite. Duobus aut tribus post annis confessus est suo Parocho, qui eum denegata absolutione obligavit, ut Papæ se sifteret.

ꝑ. Male egit Parochus; quia Episcopus diocesanus habet jus poenitentem absolvendi. *Si Clerici*, ait Alexander III. *intra puberes annos se ad invicem, aut unus alterum percusserit, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi; quia eos ætas excusat.* Gregorius IX. addit: *sive ante sive post pubertatem possulent absolvi.* *Pontas.*

CASUS LXX. Publicatum est ratione commissi homicidii monitorium continens Excommunicationem ipso facto contra eos, qui habentes notitiam homicidam non detegant. Post trinam publicationem nemo sciens comparuit. Joannes puer tredecim annorum cum dimidio vidit quidem Petrum hoc facinus perpetrantem; sed intima eidem junctus amicitia rem manifestare noluit. Incurritne censuram?

ꝑ. Casuistæ in hoc articulo non conveniunt, & Leges Ecclesiæ in ista materia non sunt satis expressæ, & formales juxta *Bailium*, qui dicit impuberem posse incurrere Excommunicationem latæ sententiæ latam a jure, non autem latam a Superiore ecclesiastico. Interim si verum esset, jus non distinxisse satis clare inter puberes & impuberes, quando agitur de Excommunicatione; ex hoc tamen non sequitur, quod, quia secundum jus impuberes rei peccatorum mortaliū incurrere possunt Excommunicationem latam a jure, minus possint incurrere istam censuram latam a iudice Ecclesiastico, modo sint doli capaces, id est, sufficienti ratione præditi ad agnoscendam enormitatem criminis, & obligationem, qua Fideles ad obediendum Ecclesiæ tenentur. *Pontas.*

CASUS LXXI. Hildegardes, mulier conjugata, habitans in domo conventui Religiosorum proxima percepit, se a quodam Religioso injuste fuisse diffamatum. Hinc ira excandescens huic Religioso plagam lethalem cultro infligit cum magno aliorum scandalo.

ꝑ. Non opus est recursum ad Papam; Episcopus enim eam potest absolvere, ratione fragilitatis sexus, & quia sub potestate sui viri constituta est. Ita decidit Alexander III. *Pontas.*

CASUS LXXII. Gentianus Officialis Eboracensis pronunciauit sententiam Excommunicationis contra Philibertum; sed paulo post irregularis factus est ob cooperationem efficacem ad homicidium. An valide Philibertum absolvit?

ꝑ. Licet irregularis sit, potest tamen Philibertum absolvere ab Excommunicatione, quam contra eum pronunciauit: irregularitas enim non privat potestate jurisdictionis. Ex quo sequitur, Episcopum aut alium Prelatum Excommunicatum posse excommunicare & ab Excommunicatione absolvere; dummodo non sit denunciatus. Ita docent S. Thomas & Gregorius IX. *Pontas.*

CASUS LXXIII. Philo Presbyter suspensus & Excommunicatione majore ligatus, obtinuit provisionem cujusdam parochiæ: admonetur de nullitate provisionis ratione Excommunicationis, quæ illum incapacem ad omne Beneficium reddit; ipse vero contrarium tenens dicit; se legitime fuisse provisum, cum a Papa fuerit absolutus ab omni censura, eoquod in provisione dicatur: *Et cum absolutione a censuris ad effectum.*

ꝑ. Si Philo Excommunicationem incurrit majorem a jure, ab ea absolutus est solum ad effectum impetrationis Beneficii terminorum provisionis in hoc casu canonicæ. Si vero ipse Excommunicatio est ab homine, dictis terminis non est absolutus, & provisio est nulla; ideoque a legitimo Superiore absolvendus est, & nova impetranda provisio. *Pontas.*

CASUS LXXIV. Alpinus excommunicatus denunciatus se in foro interno absolvi procurans provisus est Canonice. An Canonice aut saltem valide provisus est? aut an saltem valide provisus est, si ipse Excommunicatio penitus fuerit occulta?

ꝑ. 1. Omnis collatio Beneficii excommunicato facta est ipso jure nulla; & sic provisus tuta conscientia illud retinere non potest. 2. Excommunicatio præcedens non facit provisionem de Beneficio illegitimam, dummodo absolutio obtenta fuerit ante collationem. 3. Quamvis Clericus absolutionem obtinuerit ab Excommunicatione in tribunali poenitentiae, manet tamen inhabilis ad Beneficium obtinendum, si Excommunicatio fuit publica. Hinc quoad primam questionem Alpinus nec canonicè nec valde fuit provisus. Quoad secundam dicendum, quod Excommunicatio occulta nullum profus sortitur effectum in foro externo, & hinc in eodem foro possessionem Beneficii non impedit. *Pontas.*

CASUS LXXV. Metellus plures incurrit Excommunicationes.

3. Potest absolvi ab una Excommunicatione, quin absolvatur ab altera. Si tamen ab eodem Superiore pluribus Excommunicationibus sit innodatus, & ab eo absolvatur, ab omnibus censetur esse absolutus, nisi contrarium exprimitur. Idem fieret per unicum absolutionem, si ob idem delictum pluries fuisset excommunicatus; aut, si etiam diversæ causæ Excommunicationum fuerint, omnes tamen iudices consentirent, ut per unicum absolutionem solvatur, Ita docent S. Thomas & Innocentius III. Pontas.

CASUS LXXVI. Officialis Pampelonensis sententiam Excommunicationis pronunciavit contra quemdam nobilem virum, quem ut absolveret vehementer rogatus est, cum promisso satisfactionis competentis pro reo præstandæ; verum dictus nobilis vir censuræ injuriam pessime ferens palam efatus est, se nolle ab ea absolvi.

3. Officialis ab Excommunicatione absolvi potest etiam nolentem absolvi; a peccato autem, quo Excommunicatio contracta est, non potest absolvi nisi volentem. *Etiā manente contumacia*, inquit S. Thomas, *potest aliquis discrete Excommunicationem juste latam remittere; si videat salutem illius expedire, in cujus medicinam Excommunicatio lata est.* In casibus hujusmodi perraris observandam censuræ regulam generalem, quæ est, ut non absolvantur nisi absolutionem humiliter postulantes. Pontas.

CASUS LXXVII. Theocrenes ob grave furtum excommunicatus denunciatus absolute noluit se subicere sententiæ, præhendens, eam esse ipso jure nullam ob neglectum formalitatum per Canones requisitarum.

3. Et si Judex præscriptas formalitates non servans peccet, & suspensionem ipso facto incurrat, sententia tamen suam sortitur effectum; cum Jus nullibi eam declaret nullam ex hoc defectu. Cum ergo sententia ex hoc capite solum sit injusta, Theocrenes in omnibus tenetur se considerare ac gerere ut vere excommunicatum. Et si Presbyter sit, non poterit celebrare aut administrare ullum Sacramentum, quin irregularitatem incurrat. Conditiones ad justam ac legitimam Excommunicationem requisitæ sunt 1. Ut sententia literis mandetur. 2. Ut causa Excommunicationis seu delictum exprimat. Utrumque non minus sapientia quam justitia exigit. Pontas.

CASUS LXXVIII. Maximus sententia juridica ab Officiali excommunicatus appellavit ad Metropolitanum, a quo absolutionem obtinuit ad cautelam. An per hanc absolutionem penitus solutus est a vinculo Excommunicationis?

3.

3. Si absolutus est servatis omnibus conditionibus ad talem absolutionem requisitis, vera est absolutio, per quam in omnia jura, quæ prius habuit tam in foro interno quam externo redit. Ut autem hæc absolutio ad cautelam, quæ conceditur appellanti usque ad discussionem causæ fundamentalis & finem litis, sit legitima, requiruntur quinque conditiones. 1. Ut appellans probandum suscipiat, Excommunicationem esse injustam & invalidam. 2. Ut probet summarie ejusdem nullitatem. 3. Ut sistat sufficientem cautionem de parendo, si contra ipsum pronunciaretur. 4. Ut pars adversa citetur. 5. Ut hæc absolutio detur a Superiore legitimo. Est & alia absolutio, quæ dicitur *in limine litis*, & communiter hodie conceditur sine cognitione causæ; hæc coram Deo nihil operatur, & solum id efficit, ut excommunicatus stare possit in judicio, & agere in foro externo. Pontas.

CASUS LXXIX. Flaminius a suo Episcopo aut Officiali excommunicatus appellavit ad Metropolitanum, præhendens Excommunicationem fuisse injustam. Post aliquod temporis intervallum absolutionem petit a suo Episcopo.

3. Non obstante appellatione absolvi potest a suo Episcopo. 1. Quia Episcopo quidem per appellationem manus ligantur quoad contentiosa, non autem quoad gratiosa. 2. Quia in hoc casu juxta Innocentium III. appellans censetur renunciasse appellationi, ac se denuo subjecisse primo judici. Pontas.

CASUS LXXX. Theophilus excommunicatus denunciatus, angina laborans, in proximo mortis periculo versatur. Parochus cum tempus non superesset ad Episcopum recurrerendi, eum absolvit hac conditione, ut si sanitatem recuperet, adiret Episcopum, pœnitentiamque ipsius ad arbitrium injungendam susciperet. Convaluit Theophilus; sed valide sese absolutum ratus Episcopo se non sistit.

3. Ipso jure relapsus est in Excommunicationem per suam inobedientiam pro foro interno, ut statuerunt Bonifacius VIII. & Clemens V. Pro foro externo autem nova requiritur sententia. Pontas.

CASUS LXXXI. Artus in periculo mortis constitutus, fuit absolutus ab Excommunicatione majore occulta & reservata a simplici Sacerdote. Teneturne sub pœna recidendi in eandem Excommunicationem, si denuo convalescat, se sistere Superiori pro ulteriori absolutione; et si id ipsi a Sacerdote injunctum haud fuerit?

3. Non tenetur, nisi in illis Diocesibus, in quibus per consuetudinem aut peculiarem constitutionem id est introdu-

T t a

Cum,

stum, ut factum est Parisiis per Cardinalem Noailium 1709. *Pontas.*

NOTA. Non consuetudo, sed Jus commune hoc requirit.

**CASUS LXXXII.** Fuldradus excommunicatus in repentina infirmitate petit absolutionem a suo Episcopo, qui eam non nisi sub his conditionibus impertitur, videlicet ut reus promittat, se parti læsæ intra bimestre integre satisfacturum damnumque compensaturum, ac peregrinationem instituat; secus eum ipso jure relapsurum in eandem Excommunicationem, qua antea fuisset ligatus. Fuldradus implet primam conditionem, alteram autem novo correptus morbo implere non potuit nisi uno mense tardius. An de novo incurrit Excommunicationem?

ꝛ. Non videtur sustineri posse, eum hac censura denuo ligatum: nemo enim tenetur ad impossibile. Ipse quoque Bonifacius VIII. constituit, ut satisfactio reo absolutionem petenti imposita commode impleri possit, dum ait: *si hæc cum primum commode poterunt, non curaverint adimplere.* *Pontas.*

**CASUS LXXXIII.** Theodorus denunciatus ob Excommunicationem S. Sedi reservatam, quam incurrit, absolvitur a Legato Apostolico cum mandato, ut se sistat Episcopo diocesano pro recipienda commerita penitentia & determinando genere satisfactionis parti læsæ præstandæ. Theodorus autem neglexit se sistere Episcopo.

ꝛ. Juxta Constitutionem Bonifacii VIII. obtenta absolutio Theodoro est inutilis. *Pontas.*

NOTA. Si Theodorus habuit animum præstandi requisitata a Legato, ejus absolutio pro foro interno coram Deo valet & permanet, sed pro externo foro in effectus externos reincident.

**CASUS LXXXIV.** Florentinus excommunicatus denunciatus vellet quidem absolvi, sed non audeat in persona accedere Superiorem vel ex pudore vel quia nimium ab eo distat, vel ob infirmitatem.

ꝛ. Potest absolvi licet absens ab Excommunicatione, non vero a suis peccatis. *Pontas.*

**CASUS LXXXV.** Priscillianus nominatim excommunicatus denunciatus absolutus est a suis peccatis & censura a quodam Confessario vi Jubilæi universalis, quod lucratus est; & implevit omnia, quæ illi fuerunt præcepta. An isto modo in omnia priora jura redit, quibus per Excommunicationem privatus est, ut Superior, qui Excommunicationem pro-

AVA.

nunciavit, illum non amplius possit obligare ad novam absolutionem subeundam?

ꝛ. Censuræ æque pertinent ad forum internum ac externum, & ligatus censuris pleno jure restituitur communioni fidelium, si valide absolutus est in foro interno; & potest agere ac si nunquam illas incurrisset. Verum nominatim excommunicatus declaratus & denunciatus per sententiam juridicam & publicam ut absolvatur, requiritur, ut iudici qui tulit sententiam, & Publico, cui suo peccato scandalum dedit, certo constet de ipsius absolutione. Priscillianus igitur, licet absolutus in foro interno, debet etiam sibi procurare absolutionem in foro externo; & si hoc negligat, iudex jure contra illum procedere poterit, & poenas illi infligere in refractarios statutas. Notandum hic venit 1. Absolutio a censuris *ab homine* aut in tribunali justitiæ externo latis non potest obtineri nisi in foro externo a Superiore habente jurisdictionem ecclesiasticam, aut ejus ad hunc effectum delegato. 2. Excommunicatio per monitorium terminis generalibus in quospiam lata certe est reservata Superiori eam pronuncianti; etiamsi in sententia non exprimitur reservatio. 3. Ejusmodi Superior non necessario debet esse Presbyter. 4. Absolutio hæc non est Sacramentalis. 5. In Jure non præscribitur determinata forma ad talem absolutionem in foro externo, sed sufficit, ut clare enuncietur & in scripturam redigatur, si ipsa quoque sententia fuit scripta. Ceremoniæ antiquiores non sunt amplius in usu. *Pontas.*

**CASUS LXXXVI.** Aphrodisius dives Beneficiatus cum omnia bona sua ex Beneficiis parta per testamentum pauperibus & Ecclesiæ reliquisset, Renatus ipsius nepos adeo indignus est, ut in præsentia duorum pluribus baculi ictibus cadaver defuncti exceperit.

ꝛ. Non videtur per impiam hanc actionem Excommunicationem incurrisse; quia cadaver mortui nec est Sacerdos nec Religiosus. Ad hæc sacer character solum imprimitur animæ, non corpori. *Pontas.*

**CASUS LXXXVII.** Quænam sunt regulæ observandæ circa excommunicatos?

ꝛ. Extravagans *ad Vitanda* solum pro Fidelibus facta est, & non in favorem excommunicatorum, qui tenentur abstinere ab omni exercitio Communionis publicæ, ut Missa, & Officio. Non tenetur quis vitare excommunicatum nisi talis declaretur per sententiam definitivam. Ille, qui publice percussit Clericum, tenetur recurrere ad Papam pro ab-